









FEVDALIVM

CONSVETUDINUM

ΣΤΝΟΨΙΣ.

*Quam*

DIVINI NUMINIS

Auxilio

PRÆSIDE

DN. IOH. OTTONE TABORE, U.I.D.

ET IN ILLUSTRIS ARGENTORATENSIVM

Universitate Cod. ac Feudor. Prof. P. Patrono ac

Præceptore suo, absoluto observantia cultu

prosequendo.

Solemni examini subiiciet

*A. D. 16 mensis Julij*

JOH. ADAMUS SCHRAGIUS,

Argentorat. Philos. M.



AUGUSTÆ TREBOCORUM,

Typis JOHANNIS GEORGII SIMONIS,

clō 10c XL.

205.

18

1645, 8.

peram  
onora-  
debe-  
ondict.  
mam  
uffra-  
rariū;  
s fue-  
Pro-  
cipa-  
roci-  
it, l.  
atore  
na de  
ndat.  
lave-  
gium  
stan-  
è ca-  
quid  
ha-  
ntes,  
s de-  
one  
nem  
phi-  
gan-  
pri-  
oro-  
ibi-  
d. ad  
t ex  
test  
di-  
cem



LIBERALISSIMI STIPENDII  
SCHENCKBECHERIANI

P R Æ F E C T I S

V I R I S

Amplitudine, Prudentia, Magnificentia, Reverenda  
dignitate, Consilio, Experientia, Eminen-  
tissimis, Clarissimis,

DN. EBERHARDO ZETZNERO, Reip. patriæ XV viro  
Collegij hujus Antistiti.

DN. JOHAN. ULRICO FRID, JC. & Rei- } Directo-  
publ. Archigrammateo, } ribus ejus-

DN. JOHAN. RUDOLPHO SALTZMANN, } dem Col-  
Med. D. Prof. P. Archiatro, & h. t. Magnifico Uni- } legii.

versitatis Rectori.

DN. JOHAN. SCHMIDT, SS. Theol. D. & Prof. Conventus  
Ecclesiast. Præsidi, Capituli Thomani Præposito.

DN. JOHAN. PAULO REICHARD, rei monetariæ II viros  
DN. MELCHIORI GREYNER, J. U. Doctori.

DN. JOHAN. FRIDERICO à Gottesheim / Censoribus  
Reipubl. à Secretis.

DN. JOHAN. JOACHIMO Frank / XV viris Reipubl. à Se-  
cretis, & Collegii nominati Quæstori.

*Dominis Patronis, Promotoribus, Euxyctois &  
Fautoribus suis, in æternum observanti sub-  
missioris animi cultu suspiciendis,*

Hoc qualecumque studiorum specimen  
& debitæ gratitudinis exiguum  
testimonium,

*submisso, observanter*

D,

A. & R.





Συὴ Θεῶν.

## T H E S I S I.



URIS FEUDALIS (quod perinde *consuetudines, mores & usus* appellare licebit) brevem quandam *σύντομον* delineaturi, sequemur methodum vulgaræ proximiorum, quantum quidem subsidii nobis ad materiam hanc satis nobilem & subtilem, illa feudaliū librorum *παράδοξα* subministrabit.

2. Originem ejus antiquissimam, si materiam rudem attendas, omnibus ferè populis, qui eo modo militibus imperium firmarunt, vel devictos in clientelam susceperunt, licet diversis sub legibus, acceptam ferimus; sin formam ejus, quod juris Romani corpori adjectum est, Longobardis tantum, priscae Germanorum genti, adserimus. (Fallitur enim Hattys. cum aliis, qui Romanis tantum imputant.)

3. Quod jus etsi maxima sui parte non ab Impp. Rom. eorumve autoritate, sed privatis hominibus memoriae causa collectum fuerit; si ve is unus extiterit Obertus de Orto, si ve cum eo Gerardus Niger, qui & Capagistus (ambo Jcti, Advocati & Coss. Mediolani. 2, 24. pr. 2, 25. m. Oth. Fris. 2. Frid. I, c. 12. f.) si ve plures & incerti, quod verosimilius; cum tamen longissimo jam usu, scientibus & permittentibus Impp. in universo imperio receptum, in Academiis prælectum, adeoq; rebus ipsis & factis, voluntate tum Imp. tum populi declarata, pro lege invaluerit; observandum utiq; erit, in decidendis maximè controversis questionibus feudaliibus.

4. Sed & extra propriam sibi materiam, ad causarum aliarum decisiones se extendet, ubi vel cum Romanis LL. consensum, vel rationem habuerit naturalem: Obligabit itidem æquè Clericos ac laicos.

5. Nomen *feudi* conjugatum videtur à Germanorum *faida* vel *feida* bellum, aut inimicitiam, significante: unde *feudosus* in ll. Salicis, pro inimico, *Diffeidare*, pro eo quod est, ad bellum provocare. Si qui tamen interpretationis rationi magis intenti, illud à *fide* derivare velint, per nos quidem iis licebit.

6. Alio nomine libb. feudaliibus dicitur *Beneficium*, passim. Veteribus

A a

ribus



ribus *Jus militiarum*, quod Justiniano *spaleia* est, teste Haloand. in Nov. præf. Romanis quadantenus, *prædium clientelare*, vel *militaris clientela*.

7. Definitur à D. Obrecht, Jus sub mutua fidei conditione à domino & vasallo in rebus immobilibus, certo modo utendis fruendis constitutum.

8. Feudum quotuplex sit, Jurisperiti feudistæ inconstanter tractant. Ex singulis enim qualitatibus sicubi paulo majores aut minores videantur, proprias statim divisiones comminiscuntur; non minus ridicule, quam si ex singulis pactationibus novas contractuum species effingas: quasi vero circumstantiæ variarent speciem, contra l. 29. ff. de instr. vel instr. leg. Nos summam tantum divisionem in PROPRIUM & IMPROPRIMUM, cum quibusdam subdistinctionibus, usui forensi inservientibus, describemus.

9. PROPRIUM itaque vel RECTUM est, l. 2, l. 2, 33. propriam feudi naturam habens; scilicet quod (1) ex mera domini benivolentia, 2, 23. f. amore & honore acquisitum l. 27. pr. (2) Investitura l. 25. pr. in re immobili vel æquipollenti 2, l. 1. vers. sciendum, subsecuta fidelitate vasalli 2, 3, l. 2, 76. jurata. 2, 3. §. ult. ad servitia pro eo personalia & incerta præstanda 2, 23. §. ult. constitutum. (3) sine culpa eidem auferri nequeat l. 21. (4) sed ad heredes masculos (eos tamen non mutos, surdos vel aliter imperfectos 2, 36.) perpetuo transeat l. 1, 4. l. 21, l. 25. pr. (5) dum intra annum & diem renovationem investituræ petant à domino 2, 24. penes quem directum feudi dominium semper permanere intelligitur.

10. Id diverso iterum respectu subdividitur; Primò, ratione Efficientis (ut vult Obrechtus l. f. §. num. 21. per text. 2. f. 10. cum alii ab effectu denominationem deducant: alii formam his rectius conjungant) (1) in Nobile, quod investiti personam nobilitat, vel si prius nobilis ille fuerit, nobilem ostendit. 2, 10. ut cum ab Imp. annexa aliqua dignitate regali, (quale nobis ein *Fahntlehen* & *Scepterlehen* dicitur) l. 14. vel absq; ea concessum est. Et Ignobile, quod sine nobilitandi animo dari consuevit; id quod nonnullis *plebeium*, aliis *Burgense*, aliis concessum à minoribus & minimis *valvasoribus*, nobis *Burger* oder *Baronslehen* appellatur.

11. (2) in NOVUM, cujus causam acquirens vasallus à seipso & domino concedente habet 2, 12. seu quod per novam investituram primo fuit quæsitum. Ejus tria singularia sunt, quorum unum subjectum; reliqua formam & effectum concernunt. (1) defuncto vasallo, non ascendentes, non collaterales, sed tantum primi adquirentis descendentes succedunt, (2) non nisi investitura coram paribus potest expediri. l. 25. pr. (3) pater



pater vasallus refutando illud, liberis suis præjudicat. *Zaf. de F. p. 3. n. 5. & Vetus* (quod aliquibus in *paternum & antiquum* subdistinguitur) cujus causam vasallus non à seipso habet, sed à patre, vel quocumq; alio ascendente aut superiore, qui primus adquisivit. 2, 17. pr. 2, 50. pr. Ejus æquæ tria singularia extant. (1) tam descendentes, quam Collaterales in eo succedunt, dummodo à primo acquirente originem habuerint. 1, 8. (2) in linea collateralis, ad descendentes potius quam ascendentes transmittitur. 2, 50. (3) Successione acquiritur: sufficit enim veteris investituræ renovationem fieri, etiam solis testibus extraneis adhibitis. 2, 32.

12. Secundò, Subjecti ratione, in Ecclesiasticum (nobis *ein Lehens vom frummen Stabe*) quod in re Ecclesiastica constitutum est, & Seculare, quod in profana. Illius quinque præcipua notanda. (1) Investitor Clericus successorem gravare non potest, ut post mortem possessoris alteri det feudum; quod in Laico secus. 1, 3. (2) Investitura à majoribus facta in præjudicium Ecclesiæ alterari nequit. *facit 2, 34. & similiter.* (3) in Nova ejus Investitura pares curiæ non requiruntur; at bene in seculari. 1, 26. *in f. pr. vers. in Clericorum. 2, 58. 1.* (4) Nulla ab Ecclesia feudum tenente facienda est fidelitas, 2, 101. (quod tamen de consuetudine non servari testatur *Gudelin. c. 7. de feud. n. 10.*) at in seculari etiam Imperator fidelitatem præstat. 2, 100. (5) Commissa culpa à Clerico, cui in Ecclesiæ favorem feudum datum fuit, non idcirco Ecclesia feudum plane amittit, sed ad vitam tantum ejusdem.

13. Tertiò, ratione Formæ in Ligium, alias Homologium. *Cujac. & Gothof. ad 2, 99.* in quo vasallus contra omnes, nullo anteposito fidelitatem præstat. 2, 52. 2, 99. Ad quod duo requiri videntur. (1) ut concedens superiorem non recognoscat. (2) ut accipiens non recognoscat alium, nisi eum à quo feudum ligium accepit. & Non ligium, in quo vasallus domino fidelitatem jurat, alio excepto. Cujus generis sunt omnia feuda ab iis concessa, qui Imperatorem vel Regem pro superiore agnoscunt. Negat tamen *Just. Ritter. lib. 1. Inst. feud. c. 3. n. 8. m.* hanc esse divisionem singularem, sed omnibus feudis propriis ex sua natura annexam esse contendit.

14. IMPROPRIMUM VEL NON RECTUM FEUDUM est, quod non per omnia propriam & communem feudi rationem sequitur, sed aliqua sui parte recedit. 1, 2, 1. Id iterum majoris evidentia ergo dispescemus in Perpetuum seu reale, & Temporale, quod fortè personale etiam dici poterit.

15. Perpetuum est, quod ad successores transmittitur, quale



censeri potest (1) *Emitium*, i.e. pecunia comparatum. quod tamen si propius ad rectum accedere videatur, omnem tamen ejus naturam non exhaurit, juxta communem Dd. traditionem. vide 1, 1. §. ult. 1, 7. 1, 16. 2, 23. §. ult. Gud. 1. f. 1. n. 10. (2) *Femineum* seu feminæ concessum, in quo convenit, ut ad feminas quoq; transiret. 2, 11. 2, 50. (3) *Feudum* in quo juramentum fidelitatis remissum. 2, 3. f. (4) *Francum*, ubi pacto interveniente nullum planè servitium præstatur. 2, 53. f. (5) in quo certa & determinata officia requiruntur, quale dici potest *Castrense*, nobis *Burgesehen*. item *Aulicum*, *Hoffsehen*/ quibus adde 2, 2, 3. 2, 51, 7. (6) cujus nomine vasallus domino certam pensionem solvit; de proprio enim annuæ præstationes non solvuntur. Obr. 1. f. 6. n. 41. (7) Feudum ea lege datum, ut ipse habeat & sui heredes, & quibus ipse dederit. 2, 26. *vers. feudum*. quo pertinet, quod hereditarium dicitur. v. *Anton. d. 1. th. 8.*

16. Temporale, quod ad successores feudales perpetuò non transit, cujusmodi ut plurimum est. (1) *Pignoratitium*, *Pfandlehen*/ 1, 4, 4. *Zaf. de F. p. 12. n. 23. & 24.* (2) *Camera & Cavena*, quorum illud jus est percipiendi pecuniam ex arario domini. 2, 2, 1. 2, 58. hoc jus percipiendi annonas ex cella vel horreo ejusdem. 2, 1. *vers. sciendum*. Utrumq; feudum *in curte* appellatur. 1, 5. (3) *Guardia*, quod alicui arcis tuendæ vel territorii custodiendi gratia conceditur. 1, 2. 1, 11. & *Gastaldia*, quod pro bonorum administratione datur. *ibid.* (4) *Mercedis* feudum, pro mercede alicujus rei constitutum, veluti Advocatiæ, defensionis &c.

17. Hæc autem feuda Guardix, Gastaldix & Mercedis, annalia sunt. 1, 11. quia sicut annuis vicibus reddit annona, ita hæc functiones quotannis resumuntur; quod si tamen conventum sit, ut ultra anni spatium certo determinatoque tempore vasalli retinerent, merito pactum illud servabitur, nisi fortè justa quædam indignatio aut legitima causa aliud suadeat. Obr. 1. f. 6. n. 25.

18. His addimus feudum *Soldate* in sportulis annuis consistens. 2, 10. f. 2, 20, pr. quod à feudis de Camera aut Cavena non aliter differre docet Cujac. quam genus à speciebus suis. Item *Habitationis*, quod itidem præstatio quædam annua est, cujus vi domum vel arcem aliquã vasallus inhabitat, quo ad vixerit, nisi speciatim aliud cautum fuerit. 2, 105.

19. Causa Efficiens feudi remota sunt (1) *Consuetudines*, Regni, Mediolanensium, Cremonensium, Placentinorum, & aliorum. (2) *Imperatores*, puta Lotharius I. Conradus II. Salicus. Henricus II. qui nonnullis III. Lotharius III. Fridericus I. (3) *Pontifices*. vid. *Anton. de disp. 1. th. 1 g.* (4) *Prudentes*, veluti Gerardus Niger Capagistus, Obertus de Orto (Molinæo Ortensius) Philibertus Episcopus, & si qui incerti alii.

20. Pro-



20. Propinqua; sunt omnes, quotquot rerum suarum liberam administrationem habent, nec feudum aliis dare prohibentur; iique tam Ecclesiastici quam Seculares.

21. Ecclesiastici sunt Pontifex, Legati de latere, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Abbatissæ, Præpositi. 1, 1. pr. 2, 89. Et hi quidem omnes feudum antiquum conferre possunt, in novo autem refert, An res & possessiones Ecclesiæ, quæ Tituli vocantur, 1, 6. analiæ res Ecclesiæ, an denique propriæ dentur.

22. Priori casu jus dandi feuda non habent, ob expressam Urbani Pontificis prohibitionem. 1, 6. pr. nec secundo, quia solus Pontifex (non alii Clerici) res Ecclesiæ, non infeudari solitas, pro beneficio dare potest. Feudistæ ad 1, 1. pr. & 1, 6. Tertius casus dubitatione non eget, quod hæ personæ in bonis propriis, non Ecclesiæ, sed communi jure utantur.

23. Secularium quinque gradus constitui possunt. In quibus est (1) *Imperator*, qui feudorum libris interdum *Princeps*. 2, 10. 3, 7. interdum *Rex* appellatur. 2, 38. 2, 44. confertque solus regalia feuda, puta Ducatus, Marchionatus & Comitatus. 1, 14. pr.

24. (2) *Duces*, *Marchiones*, *Comites*, qui *Capitanei regis seu regni* dicuntur, & in Germania hodie sunt *Electores*, *Archiduces*, *Marchiones*, *Landgravii* & *Comites*: cum horum omnium post Imperatorem, *Cæsarem* & *Reges* præcipua sit dignitas: At in Gallia hujus generis sunt *Pares Franciæ*. 1, 1. 2, 10.

25. (3) *Valvasores majores*, barbaro vocabulo sic appellati, quasi ad valvas dominorum suorum custodiæ & reverentiæ causa stantes: Hi à Ducibus, Marchionibus & Comitibus feuda accipiunt, ac per se aliis conferre possunt. 1, 1. 1. dicuntur alio nomine *Capitanei*, sed improprie. 1, 7. 1, 17. 2, 10. nonnullis censentur esse *Barones ac terrarum Domini*, *Landherren*. *Zaf. in Epit. F. p. 5. n. 14. & 15.*

26. (4) *Valvasores minores*, qui & *minimi*, item *Valvasini* dicuntur, 1, 15. Quales in Germania *Nobiles* dici possunt, qui non adeo inter reliquos eminent; Hos *Contius* in Gallia *Scutarios* vocari testatur.

27. (5) Denique, Omnes privati & plebei, quorum numero etiam rustici veniunt, si consuetudo loci permittat. 2, 34, 1.

28. *Feminae* æque ac *mares* novi feudi investituram faciunt, cum res proprias habere, easdem libere administrare, nec minus beneficia in alios conferre possint. l. 29. ff. de donat. Quod tamen duobus casibus restringitur. (1) Si femina, ex forma statuti alienari prohibeatur; quia qui prohibetur alienare, etiam infeudare prohibebitur. 2, 3. pr. (2) Si

legu-



luxuriose vivat & in amatorem omnia sua bona pretextu feudi transferre cupiat. Qua de causa etiam jure civili tali feminæ bonis interdici solet. *l. 15. ff. de curat. furios.*

29. Visum huc usque de his, qui suo nomine feuda dare possunt, dicendum porro, qui alieno: quo numero sunt Procuratores. 2, 3, 1. de dando feudo speciale mandatum habentes, *uti d. l. comm. accipi solet. vide Gædd. disp. 4. de feud. th. 1. lit. G.*

30. Enumeratis his qui feuda dare possunt, sequuntur ii qui prohibentur; quod quibusdam evenit natura, quibusdam jure. Naturâ, veluti Infanti, furioso, mente capto, ac in universum judicio carentibus; quibus adgregare licebit mutum & surdum natura: Et si enim intellectu non careant, organo tamen quod intellectui objectum representat, destituuntur.

31. Jure prohibentur, qui vel rerum, quas in feudum dare volunt, domini non sunt, veluti (1) Filiis. Regulariter namque nil proprii habent quod infeudare queant, & quidquid acquirunt, non sibi, sed patri acquirunt, nisi fortè peculium Castrense vel quasi habeant. (2) Servi, sive in potestate hostium sint, sive Romanorum. (3) Procuratores novum feudum dare nequeunt. *Ritter. 1. feud. 7. n. 4.* (4) Tutores & Curatores itidem novum dare nequeunt, excepto Principis tutore vel curatore; Antiquum tamen renovare possunt. *Vult. 1. feud. 3. n. 2. f. Gædd. d. disp. 4. th. 1. lit. H.*

32. Vel domini quidem sunt, sed alieno reguntur arbitrio, veluti pupilli & minores 25. annis, qui novum feudum adeo recte non dant, ut nec tutorum vel curatorum consensu id facere possint. *arg. l. 5. §. 9. 14. de rebus eorum qui. l. ult. C. Si min. mai. fact.* Antiquum vero etiam sine eorum consensu possunt concedere.

33. Cum dantium & accipientium mutua sit relatio & frustra essent qui darent, nisi quoque accipientes existerent, proximum est, ut de iis videamus, qui feudum accipere possunt: Et hodie quidem omnes feudum accipere possunt, cujuscunq; tandem sexus, ætatis, conditionis aut qualitatibus sint, nisi expressè prohibeantur.

34. Quod cum alii faciant suo nomine, quidam alieno: alii Mares sint, alii Feminæ; Mares vel liberi vel servi; Liberi rursus aut Ecclesiastici aut Seculares, de singulis ordine dispiciendum.

35. Ecclesiastici seu Clerici, feuda accipiunt, cujuscunq; ordinis



ordinis sint, 2, 40. v. ult. nec refert, si maxime accipiens sit dante superior. Hinc qui inter Ecclesiasticos summus habetur Pontifex, ab Ecclesiis, ab Imperatore, à regibus, à quovis alio, feuda accipere solet. Hinc & Archiepiscopi, Episcopi, Abbates & reliquæ personæ Ecclesiasticæ feuda accipiunt, non tantum ab Ecclesiasticis, sed laicis etiam, aded ut & jurisdictioni eorum se subiicere non dedignentur. *c. un. §. verum. de statu regular. in 6.* Cæterum ex gratia ipsis militaria servitia vel remittuntur, vel quandoque ut per substitutum ea præstent, conceditur.

36. Seculares liberi, cujuscumque sint ordinis vel conditionis, feuda etiam recte accipiunt; ut alias quilibet ab altero recte beneficia recipit, & nihil homines magis decet, quam beneficiis inter se certare. Hinc qui inter seculares summus est, Imperator scilicet: à quibusvis volens feuda accipit: multo magis ergo inferiores à superioribus. Imo & rustici à quibuslibet feuda recte accipiunt, quod jure feudorum non reperiantur prohibiti. *per auctoritates Anton. disp. 2. th. 6. Obr. 2. f. 2. n. 12.*

37. Ut vero melius intelligatur quinam ex liberis hominibus feuda accipere non prohibeantur, notandum alios legitime, alios illegitime natos esse. Legitime nati rursus vel vitio aliquo laborant, vel nullo; alii iterum vitio animi, alii corporis. De singulis ordine.

38. Animi vitium vel in crimen degenerat, (veluti cum quis in hæresin incidit, vel aliud aliquod publicum crimen committit) vel noxiam non continet.

39. Rei criminum ab aliis feuda accipere nequeunt, quia non solum bona quæ habent, v. c. ob hæresim, amittunt, sed & alia insuper acquirere nequeunt. *l. Manich. 4. C. de hæret. Idem de Bannitis & criminum capitalium damnatis sentiendum.*

40. Aliquando & ea animi vitia, quæ extra noxiam sunt, vitiatos à feudis repellunt; id quod ex accidenti fit in iis qui furore vel dementia corripuntur: ex natura vero in infantibus, quia non intelligunt quid agant, quidve cum ipsis agatur. *Obrecht. d. c. 2. n. 25.*

41. Corporis vitium est, si quis sit mutus, surdus, cæcus vel aliter imperfectus. Tales novum feudum regulariter accipere nequeunt, quia servitia præstare non valent, nisi dominus eos tales esse sciverit. Idem de antiquo. v. *Obrecht. d. loc. n. 30.*

42. Legitimè nati, nullo animi vel corporis vitio laborantes, vel sui vel alieni juris sunt. *Sui juris sunt patresfam. majores 25. annis.* Et hi cujuscumque ordinis sint, feuda ab aliis recte accipere possunt.

B

43. Alie-



43. *Alieni juris* sunt pupilli, minores 25. annis & filiifam. Pupilli iterum vel infantes sunt, de quibus supra, vel infantia proximi: Hi per se, sine tutoribus rectè feuda accipiunt, quia quid agant, quidve loquantur aliquo modo rectè intelligunt. Excusantur tamen à jurejurando servitorum donec adoleverint.

44. Minores 25. annis similiter per se absque curatore rectè feuda accipiunt, quia per se acquirere, obligari & fidelitatis juramentum præstare possunt. 2, 7. *Auth. Sacram. pub. C. si adversus vend.*

45. Filiifam. vel sunt naturales, & Legitimi simul, & rectè feuda accipiunt, nec proinde tamen patri in eo usumfr. acquirunt. v. *Gædd. disp. feud. 4. 8. 7. l. C. vel Legitimi tantum*, qui non natura, sed lege solum fiunt: hi sive adrogati, sive adoptati in specie sint, feuda perinde accipiunt.

46. Illegitime nati, iterum in plures abeunt species: Alii enim ex concubinato, alii ex scortatione, alii ex stupro, alii ex adulterio, alii denique ex incestu nascuntur. Et cum hi omnes prohibiti non reperiantur, dicendum erit, eis quoque licere feuda accipere; honestius tamen foret, si talibus feuda non concederentur. *Obr. 2. f. 2. n. 48. & seqq.*

47. Mares servi tum seculares, 2, 3. §. *personam*. iique tam priusci, quam nostri seculi, (*zeitbeigene Leute*) tum religiosi, 1. e. Monachi rectè feuda accipere possunt. Tamen si enim servi quatales, feudorum incapaces sint. *Vult. c. 4. de feud. n. 7.* sint; intuitu tamen adipiscendæ libertatis sibi acquirunt, *vid. Obrecht. 2. f. num. 56.* ut contemplatione domini collata feuda, domino; religiosi, monasterio. §. *adquiritur. l. per quas person. nob. obligat. acquirit.* v. *Obr. d. loc. n. 62.*

48. Feminae itidem tam seculares quam religiosæ feuda accipiunt; ut & hermaphroditi, secundum prævalentem sexum.

49. Alieno nomine feuda accipiunt tutores, curatores, procuratores, tam speciale quam generale mandatum habentes. Quin & si tertius aliquis sine ullo mandato alterius nomine feudum acceperit, rati habitatione accedente id valebit. *Obrecht. d. loc. n. 74.*

50. Cæterum qui ab aliquo suo nomine feudum accipit, varie in feudorum libris appellatur (1) *Feudatarius*. (2) *Clientulus*. (3) *Miles*. (4) *Vasallus*. (5) *Fidelis*. (6) *Beneficiatus*. (7) *Vasallor*.

51. Porro in feudum dari possunt omnes res soli, eive coherentes, aut immobilibus adnumeratæ, sive sint (1) propriæ, tam dantis, quam accipientis, sive alienæ aut communes; sive (2) Ecclesiasticæ (dum tamen in commercio sint, & in feudum dari solitæ, nec Ecclesiæ vel



vel mensæ Prælati incorporatæ, quales sunt *Tituli*, & post concilium La-  
teranense, *Decima*) sive seculares, eæque tam publicæ quam privatæ:  
sive (3) corporales, sive incorporales; veluti annui redditus perpetui,  
& ex licita negotiatione provenientes. item Jura, tam regalia, quam  
non regalia. Quin & actiones tam personales quam reales, ad res im-  
mobiles competentes in feudari posse communiter obtinuit, *vid. Obr. 2.*  
*f. 3. num. 108.*

52. E diverso in feudum dari nequeunt, res commercio ho-  
minum exemptæ, aut quarum alienatio interdicta est. 2, 3. pecunia, & cæ-  
teræ res mobiles, ut maxime alienari sua natura alias possint. *Obrecht.*  
*2. f. 3. num. 101.* Et hæc de materia. Quantum ad formam & consti-  
tuendi modum,

53. Feudum investitura sola constitui dicitur. 1, 25. *pr.*  
Quo ipso tamen non excluduntur modi, quibus ad ejusdem constitutio-  
nem pervenitur. *Goth. Anton. disp. feud. 4. th. 1. Treutl. 2. d. 2. th. 2. a. Va-*  
*lent, Riem. decad. 9. quæst. 3. de quibus inf. th. 61. & seqq.*

54. Investitura alio nomine dicitur *Investitio* 1, 26. 1, 28. itemq; *Ve-*  
*stitura*, ac vel ipsum investiendi actum, die *Belehnung der Lehenschaffe*/  
vel ipsam feudi possessionem, vel denique instrumentum feudi, den *Le-*  
*henbrieff* denotat.

55. Distingui solet in *Propriam*, quæ ipsius rei feudalis, ejusdem-  
que possessionis vacuæ traditio est, & *Abusivam*, quæ futuræ posses-  
sionis repræsentatio est, signis quibusdam intervenientibus facta; veluti  
baculi, sceptri, vexilli, gladii, hastæ &c: porrectione. Eam Galli nonnun-  
quam *par raim & baston* fieri dicunt.

56. Addunt quidam ex 1, 9. mere verbalem, quam vulgo *investi-*  
*turam de caducitate successionis*, item *Expectativam* super feudo vocant.  
Quod si igitur vere & realiter per investituram res tradatur, utique per  
eamdem etiam vasallus rem adquiret; sin imaginaria fiat traditio, feu-  
dum quidem per investituram constitutum erit, at non acquisitum.

57. Investituram facere possunt fere omnes, qui & feudum dare;  
Vicissim quoque accipiunt, qui & feudum; idque tam de veteri, quam  
novo beneficio intelligendum.

58. Feudi constituti forma in fidelitate consistit. 2, 3. 5. 6. 7. 77.  
quam vasallus propter rei immobilis usum fructum jurato præstat, ta-  
meti fidelitas aliquando etiam sine juramento promittatur. 2, 31. & 76.  
In genere dicitur promissio fidei, à vasallo domino ratione feudi præsti-

Pupilli  
Hi per  
quan-  
do ser-  
feuda  
n præ-  
da ac-  
d. disp.  
fiunt;  
iunt.  
enim  
io, alii  
erian-  
tamen  
99.  
am pri-  
chi re-  
um in-  
ndæ li-  
one do-  
er quas  
la acci-  
es, pro-  
in & si  
erit, ra-  
varie in  
ales. (4)  
e cohæ-  
dantis,  
fiasticæ  
cclesiæ  
vel





ta. Estque triplex (1) *subjectionis*, die Huldigung / (2) *officii seu Domesticitatis*. die Amptsflicht. (3) *Feudi seu vasallagii*, die Lehenpflicht / quæ hujus loci propria est. Nec raro evenire solet, ut quis simul subditus, officialis & vasallus domini sit. 2, 4.

59. Fidelitatem præstant per se vasalli puberes; nec refert Ecclesiastici sint an seculares, masculi an feminae, majores an minores iis, quibus præstant. Idem facere cogentur vasallorum heredes, etsi defunctus pro se & successoribus feudum acceperit. Alieno nomine fidelitatem jurant, Tutores, curatores, procuratores, syndici &c.

60. Ejus formulam generalem & specialem, vide 2, 5. 2, 6. 2, 7. in Germania hodie talis fere obtinet; Und D. hat vns darüber in trewen gelobt / vnd leiblich einen Eyd zu Gott / vnd seinem heiligem Wort geschworen / vns vnd vnsern Nachkommen getrew / hold / vnd gehorsam zuseyn / vnsern Schaden zu warnen / bestes zu werben / solche Lehen getrewlich zu verdienen / mit trewen Eyden vnd Diensten zu empfangen / darüber zugeloben / vnd schwören / in aller massen er die jeho empfangen / darüber gelobt vnd geschworen hat / vnd sonst alles das zuthun / daß ein Lehenmann seinem Herren schuldig vnd pflichtig ist zuthun / vnd als solches Lehen Recht vnd gewohnheit ist. Obr. 2. f. 10, n. 88. Volckm. I. A. N. c. 21.

61. Etsi vero quandoq; constitutio & acquisitio feudi eodem tempore concurrant, natura tamen differunt; quia prior est constitutio, posterior acquisitio.

62. Causæ autem remotæ quibus feudum per investituram constituitur & acquiritur, contingunt vel inter vivos, vel mortis causa. Causæ inter vivos sunt conventiones & actus. l. 19. de V. S. E conventionibus magis convenit feudorum naturæ pactum donationis & promissio. 2, 23. minus, Emtio-venditio. l. 2. pr. facit 1, 27. Cambium 1, 4. §. cum a. i. e. permutatio l. 22. & similes. v. Goth. Anton. disp. 9. th. 5. Inter actus etiam aliqui constitutioni & acquisitioni feudi magis sunt proprii, ut præscriptio 2, 33. minus proprii sunt, adjudicatio vel sententia judicis, arg. l. 3. §. 7. de pub. in rem act. Appropriatio feudi & similes. v. Obrecht. 2. 5.

63. Mortis causa, est Successio, quæ vel Testamentaria est (à parte domini regulariter locum habens, at à parte vasalli non item. l. 8. quod adeo verum est, ut ne quidem ad piam causam, vel pro anima legare possit feudum, & si vasallus consentiente domino de antiquo feudo disponat, nihil illud agnatis oberit. Sunt tamen pauci casus observati interpp. in quibus hæc regula fallit. v. Obr. 2, 12, n. 8. & seqq.)

26. Vel



64. *Vel Legitima*, ex jure feudi ab intestato procedens: Hæc non semper sui similis fuit, sed à parvis nata principiis, plurimum postea crevit. 1, 1, 1. & 2. In hac successione prima causa est liberorum masculorum in infinitum, quorum alii naturales sunt & legitimi simul, alii naturales tantum; alii legitimati, alii deniq; legitimi tantum.

65. Naturales & legitimi simul, sunt *vel Ecclesiastici*, & in beneficiis succedere nequeunt, nisi pacto aliter conventum fuerit, vel feudum francum sit, vel talia requirantur servitia, quæ non minus honeste clericis quàm laicis præstantur, vel ubi expresse dictum, ut per substitutum servitia præstentur.

66. *Vel Seculares*, qui nisi animo laborent, ut mente capti, prodigi &c. vel corpore, ut muti, surdi, cæci vel aliter imperfecti, omnes succedunt, non observata distinctione, posthumi sint an nati, præteriti an testamento instituti, unius an diversi matrimonii, in patria potestate constituti, an vero emancipati: nec distinguitur utrum feudum novum sit, an vero antiquum, Regale vel non regale.

67. Plane non succedunt patri in feudo filii. (1) ex matrimonio ad morganaticam contracto orti. (2) si pater feudum ob delictum amisit. (3) si filii dominum vivente patre offenderint. *Obr. 2. f. 13.*

68. Filia seu femina regulariter in feudo non succedunt, quia servire non valent; Bellorum enim necessitas feuda introduxit, obque eam militaria ista beneficia concedi solent. Atque hæc regula firma manet, etiam si primus de feudo investitus, idea lege acceperit, ut ejus descendentes masculi & feminae habere possint. 1, 6, 1. 2, 17. m. 2, 104, 1. quia non prius hoc casu feminae succedunt, quàm ubi nulli mares adfuerint. *Obrecht. 2. f. 14. n. 36.* Sed nec eo casu feminae succedent, quo feudum à masculo originem habens, ex pacto ad feminam postea pervenerit, *ibid. num. 9.*

69. Fallit tamen sup. reg. seqq. casibus (1) in feudo femineo masculis deficientibus. (2) feudo franco. (3) feudo concessio ad servitium, quod æque per feminam ac marem explicari potest. (4) pacto, aut (5) statuto municipali aliter disponente.

70. Naturales liberi tantum. N. 89. *vobis dicti*, nullo modo succedunt, etsi feudum à matre qua situm fuerit; idem sentiendum de filiis ex nothis legitime procreatis, item spuris, adulterinis, qui nec matri nec patri hic succedunt, *v. Obrecht. 2. f. 15.*

71. Legitimati quovis modo feudorum jure non succedunt. 2.

B 3

26. §.





26. §. *naturales*. cui tamen ex communi Dd. sententia in Camera etiam adprobata, censetur derogatum. v. C. A. de concubinis. th. 10. & seq.

72. Legitimi liberi tantum, regulariter etiam non succedunt, 2, 26. §. *adopt.* quod feuda sanguini dentur: Adoptio vero jus sanguinis non adferat. l. 23. ff. de adopt. Dd: tamen hic iterum placuit exceptiones quasdam comminisci. v. Gothofr. Anton. disp. 5. th. 6. C.

73. Secunda causa in hac successione est Fratrum; tum fratrum præmortuorum filiorum, in stirpes succedentium, Ascendentes namque non succedunt in feudo, nec Ecclesiastico nec seculari, siue novum sit siue antiquum, nisi (1) pacto aliter convenerit. (2) pater illud favore filii refutaverit, eiq; superstes vixerit. (3) filius ob merita patris de feudo fuerit investitus, vel (4) consuetudine contrarium introductum fuerit.

74. Quod de fratrum in feudi successione dictum, intelligendum est de paterno, non vero novo. In hoc enim frater fratri non succedit, nisi (1) in investitura aliter convenerit. (2) si utriusq; nomine domino sciente feudum emptum fuerit. (3) si una in castris militantes equis & armis communibus feudum a sciente domino adepti fuerint. (4) si specialis sit consuetudo.

75. Germani fratres excludunt uterinos, non etiam consanguineos, quod postremum tantum locum habet in feudo masculino, non etiam feminino. Plane si soli fratrum liberi, nullis parentibus, nec eorum fratribus superstitibus adsint, non in stirpes; sed capita jure communi fiet successio. v. Gæd. disp. feud. 7. th. 9. b.

76. Post fratres, fratrumque filios tertia agnatorum ulteriorum causa est, ut quisque (ex proximi defuncti linea) primo adquirenti est proximior. vid. omnino Vult. lib. 1. de feud. c. 9. n. 112. Quod si vero vasallus nec descendentes, nec collaterales descendentes, sed collaterales ascendentes, puta patruum aut patruum magnum reliquerit, ille vel hic in feudum admittetur.

77. Et hæc quidem de ratione constituendi feudi sufficiant. quod Finem attinet, Vasallus ideo feudum accipit, ut eo frui possit: Dominus verò concedendo respicit eo, ut vasallum sibi fidelem, & ad servitia obstrictum habeat.

78. Effectus feudi varii sunt, quorum alii vasallum, alii dominum respiciunt: In vasallo vel persona, vel res in feudum data cernitur.

79. Respectu personæ vasalli, effectus feudi constituti est.

Obli.



Obligatio fidelitatis, quæ comprehendit (1) *reverentiam* domino exhibendam. Ex quosequitur non posse dominum à vasallo (1) accusari, nec (2) sine venia in jus vocari, vel (3) testimonium in eum dici, nec (4) adversus eundem actionem famosam institui, nec (5) iuramentum calumniæ ab eo exigere. Non tamen propterea inopem dominum vasallus alere regulariter tenebitur.

80. (2) *Obsequium*. Debita enim gratitudo id exigat. Ex quo sequitur (1) ut domino petenti res feudales, earumque confinia demonstrat, (2) investituræ instrumentum edat. (3) *Taciturnitatem*, ne secreta domini sui pandat.

81. (4) *Servitiorum præstationem*, ad quæ vasallus tenetur sive superiorem recognoscat, sive non; sive Ecclesiasticus sit, sive secularis; sive unus, sive plures. Individuum servitium singuli pro rato præstant; ad dividuum quilibet in solidum obligatur. *Obr. 3. f. 2. n. 6. & 7.*

82. Tenetur autem vasallus regulariter contra omnem hominem servitia feudalia præstare, etiam contra patrem, fratrem, filium. 2, 7. 2, 28. §. *ult.* quod cum mica salis accipiendum; nim. si dominus non offensivum, sed defensivum adversus has personas bellum gerat. *post Vult. Goth. Anton. disp. feud. 7. th. 5. lit. F. Rosenth. c. 8. de feud. concl. 10.* Excipimus (1) Vasallum ipsum. (2) Imperatorem vel Regem. (3) antiquiorem dominum. (4) Patriam.

83. Requiritur autem debet vasallus à domino ad servitia præstanda; quod adeo verum est, ut etsi longissimo tempore servitia non exhibuerit, feudo tamen non cadat, si ad ea præstanda à domino vocatus non fuerit.

84. Vocatus vero non diu muginari, calvire, aut moram nectere, sed quamprimum præsto esse debet; quin imo si dominum in maximo periculo versari sciat, aut servitia ex certo die deberi, etiam non requisitus opem ferre tenetur. 2, 28. §. *ad hac. i.*

85. Potest tamen vel per se, vel per alium, puta substitutum idoneum, & domino acceptabilem servire; quod licitum est impuberi, clerico, feminae, valetudine adversa aut ætate decrepita oppresso; item impari, vel majori dignitate cum domino constituto.

86. Excusantur tamen a servitiis nonnulli, ut (1) *pupillus*, 2, 26. §. *si quis. de test. 5.* [Quamquam communius obtinuit, illi textui generali consuetudine derogatum esse, & pupillum servitia vasallatica per substitutum exhibere debere. *Gothofred. Anton. disput. 7. thes. 7. lit. C. Obrecht. 3. de feud. cap. 6. num. 3. Dn. D. Locam. disput. feud. 4. q. 18. quod & feudistam*

a etiam  
cedunt,  
anguinis  
ptiones  
tum  
ndentes  
sive no-  
llud fa-  
atris de  
ntrodu-  
endum  
ccedit,  
domino  
equis &  
si spe-  
sanguis-  
o, non  
eorum  
mmuni  
m ul-  
imo ad-  
Quod  
sed col-  
uerit, il-  
t. quod  
Domi-  
servitia  
minum  
ur,  
tuti est.  
Obli.





distam ipsummet velle docet Cujac. ibid.] (2) *major 70. annis. arg. l. 3. de jur. immun.* Nec non (3) is qui propter adversam valetudinem rebus suis superesse nequeat. *l. penult. de vacat. & excus. mun. Anton. d. l.* quas duas exceptiones ita admittimus, si feudum adeo tenue sit, ut substitutus inde exhiberi non possit. *Anton. d. thes. 7. lit. e.* Alii, qui ob corporis defectum servitiis præstandis pares non sunt, ut muti, surdi, claudi, per substitutum aut fructuum collationem nihilominus servire tenentur. *Obrecht. d. cap. 6. num. 6.* (4) Denique immunitatem etiam præstat præscriptio, si Vasallus à domino interpellatus, servitia ei denegarit, & dominus per 30. annos adquieverit. *Obrecht. d. loc. num. 8.*

87. Quin & persona Domini, Feudive qualitas vasallum à servitiis excusant. *Persona Domini*, veluti (1) si sit ab Imp. bannitus vel excommunicatus *Anton. d. 7. th. 8. lit. B. &c* (2) si duo domini de successione inter se contendant. *d. th. 8. lit. F.* (3) si servitia exigantur contra superiorem vel antiquiorem dominum *2. 7. Feudi conditio*; (4) si Francum fuerit. *Anton. th. 7. a.*

88. Huc usque de effectu feudi respectu personæ vasalli, sequuntur Effectus ratione rei in feudum datæ, qualis est, quod præter dominium utile vasallus. (1) Utilitates. (2) Administrationem feudi habet. Utilitates in fructuum perceptione, & meliorationum deductione, exsplendescit. Hæc in libera ejusdem dispositione secundum jus feudale consistit; puta (1) *Alienatione* si cum consensu eorum fiat, quorum interest feudum alienari vel non; veluti est dominus feudi, agnatus vasalli, vel alius in prima investitura comprehensus. (2) *Subinfeudatione*. 2. 3. §. *sed etiam*. qua vasallus totum vel partem feudi, alteri æquali vel meliori, iisdem legibus & pactis, quibus ipse habuit, sincere concedit, cujusmodi feudum nobis dicitur, ein *Affterlehen*. (3) *Refutatione*, qua vasallus feudum quod habet, in manus domini, descendantium, agnatorum; interdum etiam extraneorum, libere, tempestive & sine dolo renuntiat, quo servitiis & fidelitate vasallatica, non tamen honore erga dominum liberari queat. (4) *Locatione* 2. 9. §. *donare. v. Obr. 3. f. 7. & 8.*

89. A parte domini ex feudi constitutione, hi effectus hæc; obligationes suboriuntur. (1) ut vasallum præstita fidelitate in vacuam possessionem inducat, (2) ob moram, quam in tradendo feudo commisit, vasallo omnem utilitatem præstet, & (3) evictionem: Vicissim autem (4) directi domini jura non tantum ipse exercere; verum etiam dire-

ctum



Aut dominium alteri subinfeudare potest: Quin & (s) heredes domini recte vasallos & jura curiæ dividere poterunt. v. *Obrecht. 3. f. 15.*

90. His ita delibatis jura etiam ex primis orta perstringenda sunt, qualia sunt **Actiones**; quæ dantur vel domino, vel vasallo. **Domino Directa**, vel adversus possidentem rem feudalem, ut eam restituat. 2, 2, 1. vel vasallum, ut servitia exhibeat, aut feudum commissum reddat; datur eidem quoque *Condictio causæ data, causæ non secuta*. Item *Interdicta possessoria*. v. *Goth. Anton. disp. 13. thes. 5.*

91. *Utilis rei* vindicatio datur vasallo adversus dominum, ut feudum vel renovetur, si antiquum; vel ut in possessionem ejus mittatur, si novum. 2, 26. §. *si facta*. Item adversus possessorem quemcumq; , ut servitatem prædio feudali debitam præstet, & vel maxime, ut feudum ab altero possessum, sibi quasi vindicet. 2, 8. *pr. vers. rei aur.* quod non observatum *Hattys. in Anal. p. 3.* dum prius tantum exprimit. Competit eidem vasallo & *Prescriptis verbis actio* adversus dominum; ut, si qua feudum concessum evictum fuerit, aliud ejusdem bonitatis restituitur. Dantur & *Interdicta* tam adversus extraneum, quam dominum. Destituito denique aliis actionibus, dabitur *Condictio ex lege*.

92. Porro omnis actio feudi nomine competens, vel *coram Imperatore* intentatur, si de feudo reali fuerit contentio; vel *coram paribus curiæ*, si de non regali inter Dominum & Vasallum sit contentio. 1, 21. vel *coram Domino*, si inter ipsos Vasallos contentio fuerit. 2, 55. §. *ult.* vel denique *coram Judice aut arbitro*, si pares non sint, vel dominus suspectus videatur. Item si vasallus asserat suum esse allodium, vel ab alio dependere 2, 27.

93. Judicium ipsum eodem modo peragetur quo cætera: quatenus enim hic specialiter diversum aliquid statutum non reperitur (veluti circa juramentum & probationes. *Anton. disp. 15. th. 1. lit. B.*) communis juris præcepta sequimur. 2, 1.

94. Haftenus de acquisitione & conservatione feudi, restat ut de **AMISSIÖNE** ejusdem pauca quoq; disseramus. Causæ amittendi feudi certæ quidem sunt, respectu juris, quod ut alias certos constituendi & amittendi modos continet. l. 44. §. *ibi, certis modis de O. & A.* ita hic quoq; certas culpas (imprimis olim constitutione Lotharii) definit, quibus feudum amitteretur. 1, 19. *ibi, una de his nominat. culp. adhibe infra th. 102.* Incertæ autem respectu probationis: Hoc enim difficulter definiti potest, quæ nam causæ & facta ad probandam hujusmodi ingratitudeis  
C cul-



culpam sufficient. 2, 23. ita hos textus conciliamus arg. ejus, quem feudista laudat. l. 3. §. 2. de testib junct. l. 1. §. 4. ad SC. Turpil. l. 15. pr. ad Municipal. conf. Obr. 4. feud. n. 27. contra eos, qui causas amittendi feudi plane incertas constituunt. vide Obrecht. 4. Feud. l. n. 3. Aliter Cujac. l. F. 2. & Gædd. disp. 9. th. 1. a. qui iterum variat. th. 5. a. aliter etiam Anton. disp. 11. th. 2. B. nodum extricat.

95. Qua in parte tamen distinguendum est inter modos finiendi (fac. 2. 49. ibi finem & refutat. collata l. 1. §. 2. ibi: habeat certum finem. Si is qui test.) Et modos amittendi feudi. t. r. de feudo sine culpa non amitt. l. 21. & t. r. 2. 23. 24. Illi enim sua natura intelliguntur, & definitione speciali non egent.

96. Finitur namq; feudum vel respectu rei, vel personæ: Rei intuitu, cum res feudalis, v. c. incendio vel inundatione perit. respectu personæ, vel inter vivos, vel mortis causa. Inter vivos, voluntate vel tacita, ut præscriptione. v. Obr. d. cap. 1. n. 18. vel expressa. Et vel directe vel indirecte, & inconsequentiam: Hoc fit ingressu in religionem. 2, 21. & 26. §. Si clericus. Directe, finitur actu aliquo inter vivos celebrato, eoque ex parte vel domini, nempe remissione. vid. Obrecht. n. 4. vel ex parte vasalli, refutatione, 2, 14. 39. 49. Mortis causa, ut ita dicam, feudum amittitur, si dominus vel vasallus nullis relictis successoribus, decesserit. l. 5. §. rursus. 2, 9. §. 1.

97. Sed & improprium feudum nonnullis istorum finitur modis. Nempe ex conventionem in certum tempus collata, veluti feudum Guardia, Gastaldia, mercedis: Morte autem vel utriuscunque, dantis vel accipientis, ut feudum Soldatæ, 2, 10. vers. Soldata autem. vel unius tantum, nempe accipientis, ut feudum habitationis. 2, 75. & 105.

98. Amittitur autem feudum (stricte loquendo) culpa, l. 19. si nimirum miles de culpis iis convictus sit, quæ usibus feudorum sunt receptæ. l. 21. Culpæ illæ consistunt potissimum in committendo & omit-tendo. Culpa commissionis vertitur, vel circa dominum: vel circa alium. Circa domini, inquam, vel personas vel res. Personam intelligimus vel ipsius domini, vel ipsi maxime conjunctas. Priori modo Dominum vasallus offendit iterum vel directe & immediate, quando personam aut honorem ejus lædit in judicio vel extra judicium. In judicio judicando, agendo, testimonium ferendo cõtra eundem. quæ omnia dicta volumus, juxta ea quæ trad. Ant. d. 11. th. 4. Extra judicium: violentas ipsi manus aut aliam injuriam gravem inferendo, Ant. th. 3. & 2, 24, 2. v. rursus.

99. Po-



99. Posteriori modo, hoc est, *oblique & in consequentiam*, vasallus dominum laedere dicitur, in uxore, filia, nuru, sorore in domo manente &c. 2, 24. §. 2. *vers. rursus*. (ubi singulare hoc adverte, quod fratrem domini occidendo, feudum non amittit, fratrem autem suum parricidali manu trucidando, perdit. 2, 37.) In rebus dominum vasallus laedit, vel in totum, si alienet feudum aut inficietur. 2, 26. §. 3. 4. §. *vers. Si vasallus*. vel in tantum, ut Scholastici loquuntur, si eo insigniter abutatur. *vid. Anton. thes. 6. v. d. disp. II.*

Quin & quaedam culpa adversus alios (præter dominum) commissa, amittendi causam præstat, ut *crimen majestatis*, quod adversus supremum dominum; item *crimina*, quæ adversus pares committuntur, ut sunt parricidium & proditio convasalli. 2, 37. (quamvis aliqui fratrem voce *hominis* ibi exaudiant) & alia delicta similia. *v. Anton. d. disp. II. th. 7.*

101. Sed & præter certas istas & jure definitas causas, placuit postea alias quoque his similes, vel majores admittere. 2, 24, 2. *vers. prædictis, ibid. sed quia*. quo respectu etiam concedi potest, causas probandæ ingratitudinis, ob varias emergentium de novo criminum figuras, nullo certo modo hodie definiri posse. 2, 23. Neque tamen ideo quodvis magnum delictum commune (non feudale) huc referimus: non adultrium, non homicidium in extraneam personam commissum &c. *v. Finchelthus disput. 10 thes. 15.*

101. Tandem in omittendo culpa vasalli sese exerit itidem vel circa res, vel circa personas. *Circa res*, ab initio si vasallus vel ejus heres intra annum & diem investituram non petierit. 2. f. 24. *pr.* aut fidelitatem, citatus ter, præstare recusaverit, *d. tit. §. 1. Deinceps* vero si justitiam domino facere neglexerit. *d. t. 24. §. 2. vers. illud tamen.*

103. *Circa personam*: si vel imminens periculum ei non denuntiaverit. 2, 24. §. 2. *vers. præterea*, vel malo jam premente, domino pro virili non succurrerit: ut si in acie pugnantem deseruerit. 1, 5. 17. 21. 2, 24. §. 2. *pr. conf. subjectum Taciti locum*. aut inclusum cum potuerit, non liberaverit. *d. 2, 24. §. 2. vers. item si delat.*

104. Ut vero dictis modis feudum vasallus amittit: Sic dominus quoque iisdem fere de causis dominium directum perdit. 2, 26 §. *Domin.* *Anton. disp. II. th. 1. f.* quod tamen cum temperamento quodam accipiendum. *v. Obr. 4. 7. n. 14. & seqq.* (Ex quo illæ quoq; exceptiones: & cautelæ salvantes noviss. elegenti ordine digestæ petendæ sunt, quibus tam vasallus quam dominus a commissa feloniam possint excusari. *d. l. c. 8.*)

105. Superest unica illa inquisitio, feudum amissum, ad quem devol-

disti  
cipal.  
ncer-  
Gædd.  
th. 2.  
iendi  
m fi-  
on a-  
efini-  
Rei  
espe-  
ntate  
dire-  
nem,  
cele-  
n. 4.  
cam,  
ibus,  
odis.  
Guar-  
el ac-  
tum,  
1, 19.  
sunt  
omit-  
circa  
lligi-  
omi-  
nam  
judi-  
a vo-  
i ma-  
ursus.  
7. Po-






devolvatur? Et priori quidem casu (cum vasallus feloniam commi-  
sit) feudum *novum* redit ad dominum, sive in personam domini, sive in  
alium perpetratum sit. 2, 24. §. 3. 2, 37. *Antiquum* autem ad dominum  
tunc demum devolvitur, si in ipsum peccatum fuerit: si in alium, ad  
agnatos. d. §. 3. vide *Finckelth. d. l. th. 22. & 23. filiis exclusis. 2, 31.* Sane  
refutatum, aut ingressu religionis desertum, (*Gædd. disp. feud. 9. thes. 12.*)  
liberis & descendantibus non eripitur. 2, 21. ubi Dn. D. *Bitshius in com-  
ment. absolutissimo. num. 1.*

106. Hæc fere sunt, quæ tumultuaria opera, in præsens, de materia  
hac diffusius patente in arctum contrahere licuit, quod si quid omissum  
aut commissum sit. Veniam ni fallor nobis impetrabit incapax tantæ  
amplitudinis, pagellarum brevitatis, & librorum feudalium indigestus  
ordo cui jam olim consultum fuisse optarunt, quotquot politam &  
omnibus suis partibus exasciatam Jurisprudentiam adfectarunt.

---

TACITUS in German. c. 14.

CUM ventum in aciem, turpe principi virtute vinci, tur-  
pe comitatui virtutem principis non adæquare. Jam  
vero infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem  
principi suo ex acie recessisse. Illum defendere, tueri, sua  
quoque fortia facta gloriæ ejus adsignare, præcipuum sa-  
cramentum est. Principes pro victoria pugnant; comites  
pro principe. Si civitas in qua orti sunt, longa pace & otio  
torpeat; plerique nobilium adolescentium petunt ultro  
eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt, quia & in-  
grata genti quies, & facilius inter ancipitia clarescunt, ma-  
gnumque comitatum non nisi vi belloque tueare. exigunt  
enim principis sui liberalitate illum bellatorem equum, il-  
lam cruentam victricemque frameam. Nam epulæ &  
quamquam incompti, largi tamen apparatus, pro  
stipendio cedunt. Materia munificen-  
tiæ per bella & raptus.





ULB Halle  
005 714 745

3



VD17











B.I.G.

Farbkarte #13

# FEVDALIVM CONSVETUDINUM

205.

18

1640, 8.

ΣΤΝΟΨΙΣ.

*Quam*

DIVINI NUMINIS  
Auxilio

PRÆSIDE

DN. IOH. OTTONE TABORE, U.I.D.  
ET IN ILLUSTRİ ARGENTORATENSİUM  
Universitate Cod. ac Feudor. Prof. P. Patrono ac  
Præceptore suo, absoluto observantiæ cultu  
prosequendo.

Solemni examini subiiciet

*A. D. 16 mensis Julij*

JOH. ADAMUS SCHRAGIUS,  
Argentorat. Philos. M.



AUGUSTÆ TREBOCORUM,  
Typis JOHANNIS GEORGII SIMONIS,

clō lōe XL.

